

1578 veteremque cum Rege amicitiam decebat, Senatus decreto responsum.

Interea vero ab Alenconio Beomontium cum duodecim muralibus tormentis quatiebatur, eo consilio, ut vel deditio, vel vi, antequam Austriacus suppetias ferret, ad dditionem compelleret. At cum Hirgeo duce, copias, ut obsecsis subvenirent, Austriacus misisset, re per exploratores cognita, Galli, aliquot tantum in extremo agmine amissis, sese recipiunt, Antrecumque, satis amplum at infirmum oppidum vi capiunt, Verum exiles admodum in Belgio Alenconii successus fuere; neque quidquam vel suis natalibus, vel hominum opinione, vel fama, qua defensoris Belgicæ libertatis titulum assumpserat, dignum efficere potuit. Itaque mense decembri exente, militibus ac præfectis dimissis, quorum pars in Galliam rediere, pars Ordinum copiis se adjunxere, nonnulli Casimiro Duci, qui Gandavi, quod nuper ab Hispanis defecerat, morabatur, accessere; Alenconius in Gallias reversus, Danmartinum oratorem ad Ordines misit, qui ea, quibus ad deserendam suscepitam provinciam compulsus fuerat, exponeret; fratris Regis preces, novis in Gallia seditionibus obortis, magnum apud se pondus habuisse significaret; quæcumque ab se ad eorum res juvandas auxilia extare possent, ea omnia delaturum, Proneumque ordinarium apud eos legatum relicturum. Eodem tempore Joannes Austriacus, adhuc in flore ætatis constitutus, dum post multa egregia facinora, post insignem de Turcis ad Echinadas vioriam, pro Philippo fratre Belgio cum summo imperio præserset, ex humanis excessit. Ejus præconsultorum consilio, sacramento militari copiæ Alexandro Farnesio, Octavii Parmæ & Placentiæ Ducis filio, obstrictæ sunt; qui singularris fortitudinis ac virtutis laude priscis imperatoribus æquandus, bellum per multos annos iis in regionibus administravit.

Neque vero generosum non minus, quam audax & infastum Sebastiani Lusitaniae Regis consilium silentio prætereundum est; qui adolescens gloriae stimulis, provehendi imperii cupiditate, ac religionis ardore incensus, quem illius animo Societatis Jesu religiosi, quorum auspiciis a teneris annis fuerat educatus, instillaverant, in Africam trajicere statuit, a Mehemeto præsertim incitatus, qui Fessensi ac Marocchi re-

Joannis  
Austriaci  
obitus.

Alexander  
Farnesius  
Hispaniorū  
cepiarum in  
Belgio imp.

gno